

ficisci necesse est quidquid indagando veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit veri in rerum natura, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quae eam confirmant, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines dilatandos, gaudenter et libenter Ecclesia semper accipiet, et studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Inanis ergo calumnia est, asserere Ecclesiam quascumque horum temporum disciplinas et ingenii culturam promiscue repudiare.

TITULUS VI.

DE PRAECIPUIS HUIUS AETATIS ERRORIBUS.

Per originale peccatum quadruplici plaga sauciatus homo, intellectu scilicet obtenebratus est, voluntate infirmatus, in malum proclivis, ad bonum tardus effectus est. Hinc non desunt qui lucem tenebras, et tenebras lucem, et bonum malum, et malum bonum appellantes, veritates catholicas de medio tollere, totis viribus adniantur. Attamen cum nec desint, qui pro veritate et virtute pugnent, hominum genus in duas partes diversas adversasque scinditur: altera vera Ecclesia est, Christo duce; altera malorum turba, praeunte Satana. Hi quidem nunquam cessant veritatem impugnare; quapropter nec Ecclesia umquam omisit fideles monitis suis et doctrinis dirigere, Conciliorumque Oecumenicorum et Summorum Pontificum decretis, quorum auctoritate suffulti, maxime ven. mem. Pii IX et S. D.

N. Leonis XIII vestigiis inhaerentes, aetatis nostrae errores praecipuos profligare et damnare volumus.

I. — *Atheismum*. Ea est quorundam hominum imbecillitas et impietas, et adeo cor eorum excaecatum est, ut videntes non videant et audientes non audiant, nec intelligant coelos enarrantes Dei gloriam, rerum omnium Auctoris et Gubernatoris. Et quamvis numquam defuerint, qui in corde suo insipientes dixerint: *Non est Deus*; nunc multo magis dolenda est dispositio animorum, ut Deo posthabito, imo Deo relegato a legibus, a moribus, a disciplinis, verum atheismum profiteantur. Et hoc non solum in individuis privatis, sed aliquando in publicis personis, rerum moderato-ribus maximo moerore videmus.

His opponimus Oecumenicum Vaticanum Concilium decernens: *Si quis unum verum Deum visibillum et invisibillum Creatorem et Dominum negaverit: anathema sit* (Sess. III c. I *De fide*).

II. — *Positivismum*. Damnamus pariter Positivismum, veri Atheismi fautorem et propagatorem. Positivismus enim Deum appellat merum commentum et hypothesim, sive theologicam sive metaphysicam, sine ulla certitudine ac realitate. Sic videmus positivistas dogmata philosophica et religiosa negare, et theologiam pariter et rationalem philosophiam reiicientes, asserere Deum nullo modo necessarium esse ad mundi et hominis originem explicandam. Iuxta positivistas Deus non solum extra terminos scientiae ponendus est, sed ipsi scientiae repugnans et contradictorius est, et nulli realitati existenti respondet; et ita non solum scientias, sed universam hominum societatem in atheismum praecipitant, et omnes religiones de medio tollunt, ut Deo seposito, cultum et honorem tribuant naturae humanae.

III. — *Pantheismum*. Pariter damnamus et reprobamus Pantheismum, qui Deum et creaturas in unam confundens substantiam, veram Dei notionem prorsus deturpat, ita ut absurda quaeque et teterrima illi attribuat. Ex hoc enim statim et evidenter sequitur, vel nullum in mundo esse malum, vel mali Deum esse auctorem: exinde nullam in hominē esse libertatem; omnia crimina, etiam gravissima, Deo imputari; quia omnia, iuxta Pantheistas, e divina emanant substantia, et omnia fiunt manifestatione et evolutione essentiae divinae: Deum omnia esse, idem est ac Deum nullum esse asseverare, et Pantheismum ad Atheismum reducere.

IV. — *Rationalismum*. Humana ratio intelligit seipsam dependere a Deo, ut a suo principio et fine, et ita ei se esse subiectam, ut si infinitae sapientiae et bonitati placuerit alio modo, quam per ea, quae facta sunt, et alio quam ipsius rationis naturali lumine sese hominibus revelare, plenum iidem debeant praestare intellectus et voluntatis obsequium. Porro supernaturalis revelatio et communicatio Dei ad homines cum non modo possibilis, sed factum sit certissimum, in quo religio divina tota constituitur; omnino damnandum est, et cum Oecumenico Vaticano Concilio damnamus illorum commentum, qui asserunt humanam rationem esse penitus independentem, atque adeo in seipsa esse omnis veri omnisque boni fontem et unicam normam ac legem, ut dicant, fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur, prout absurdus rationalismus tanta affirmat temeritate. (Conc. Vat. Sess. III, Can. 2 et 3, *De fide*).

V. — *Naturalismum*. « Naturalistarum caput est,

ait SS^mus Leo XIII (Encycl. *Humanum Genus*) quod nomine ipso declarant, humanam naturam, humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt falsis et vagis. Negant enim quidquam esse Deo auctore traditum, nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum..... sed longius naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus tota errare via audacter aggressi, praecipiti cursu ad extrema dilabuntur, sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae naturali lumine rationis perspiciuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse, animas hominum ab omni esse materiae concrezione segregatas eademque immortales. » Encycl. *Humanum genus*: Ita etiam fit, ut naturalistae de rationalismo prodeutes, in materialismum declinantes, in abyssum communem, Atheismum, ruant praecipites. Hinc cum Oecumenico Vaticano Concilio edicimus: « Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit. » (Sess. III, C. 2, 3, *De fide*).

VI. — *Socialismum, Communismum, Nihilismum et Anarchismum*. Similiter damnamus et reprobamus cum SS^mo P. N. Leone XIII (Encycl. *Quod Apost. muneris*) illorum sectam, qui diversis nominibus, Socialistae, Communistae vel Nihilistae seu Anarchistae appellantur qui « ubique diffusi et iniquo inter se foedere colligati, in

lucem prodeuntes, quod iam pridem inierunt consilium cuiuslibet civilis societatis fundamenta convellendi, perficere adnituntur. » Sublimioribus potestatibus obedientiam detrectant; et absolutam omnium hominum in iuribus et officiis praedicant aequalitatem; naturalem viri ac mulieris unionem, gentibus et barbaris sacram, dehonestant, eiusque vinculum, quo domestica societas principaliter continetur, infirmant aut etiam libidini permittunt. Praesentium tantum bonorum illecti cupiditate, quae radix est omnium malorum, ius proprietatis, naturali lege sancitum, impugnant; et per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desiderii satisfacere videantur, quicquid aut legitimae haereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia acquisitum est, rapere et commune habere contendunt. (Encycl. *Apost. muneris*). Ultra progrediuntur nihilistae, qui, iam nullo praeconcepto systemate determinato, extremam ruinam et universalem, et exterminium societatis existentis proponunt.

VII. — *Societates secretas*. Speciatim cum Summis Pontificibus et imprimis cum SSmo Pp. D. N. Leone XIII damnamus, reiicimus et anathematizamus omnes et singulas societates secretas, cuiuscumque denominationis et ritus, quas tam perlucide et sapienter Sanctitas Sua in admirabili Encyclica *De Secta Massonum*, sic incipiente: *Humanum Genus*, universo Orbi catholico denuntiavit, descripsit et profligavit, ut omnes Ecclesiae Christi fideles ipsas agnoscant, detestentur et ab eis efficaciter avertantur.

VIII. — *Liberalismum*. Pariter damnamus et reprobamus Liberalismum, declarantes eum gubernandi aut regendi societatem civilem non esse aliquam formam, aut systema philosophicum, sed monstrum informe;

inventum in societatis et verae culturae perniciem, ac regni divini in terris destructionem. « Repudiatis enim divinae revelationis doctrina et auctoritate, ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis; unde liquet, cur asseritur voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque praesistente iure solutam et in ordine politico facta consummata vim iuris habere, » et inde oriri tum cogitandi, tum loquendi et omnibus modis opiniones suas exponendi, et iuxta illas agendi hominum libertatem (Encycl. *Quanta Cura* SSmi Pp. Pii IX). Hinc tamen caveant deducere condemnationem formae gubernii cuiuslibet democratici, quod minime Ecclesia intendit, cum contra aperte declaret nullam formam gubernii per se esse damnandam, sed qualiscumque demum fuerit, potestatem illi a Deo venire.

IX. — *Indifferentismum*. Item damnamus asserentes: in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis se reperire aeternamque salutem assequi posse (Syllab. prop. 16. Encycl. *Singulari quidem*, 17 Mart. 1856); praesertim affirmantes protestantismum non esse aliud, quam diversam eiusdem verae religionis formam, in qua pariter ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est; quam assertionem Pius Pp. IX damnavit in Encyclica *Nostis et Nobiscum* die 8 Dec. ann. 1849. Nemo enim ignorat, ait SSmus Pp. Pius IX (Sess. III, Vat. Conc.) haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permittuntur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus

inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa Sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

X. — Ecclesia sollicita semper fuit, honestam et dignam hominis libertatem, qua munificentissimus Creator illum ditare et magnificare voluit, firmam atque integram servare ac tueri. Liberum autem arbitrium hominis praestantissimum prae omnibus donum Dei est. Ideo etiam Ecclesia monet quidem omnes ut Deo serviant, quia Deo servire regnare est; omnes docet potestati constitutae obedire, quia a Deo omnis potestas; cum Christo Domino, nos invitat viam perfectionis ingredi, et cruce assumpta, Christum in obedientia sequi. Servitutem tamen absolutam, qua corpus et anima in dominium transit arbitrii alterius, prorsus reprobatur quia Christus nos libertate donavit. Hinc Ecclesiae doctrinis insistentes declaramus, nemini licere talem servitutem voluntarie subire, et graviter peccare eos, qui alieno arbitrio se ita subiiciunt, ut ad omne facinus paratos se declarent, poenam mortis etiam non recusantes, si mandato ipsis imposito obedire detrectaverint.

XI. — Damnamus etiam non solum errores hactenus recensitos, sed etiam quoscumque, specialiter contentos in apostolico documento Syllab., damnatos a felic. record. Pio Pp. IX, et coeteros omnes, qui ab ipso Pio IX et ab actuali Pontifice Leone XIII gloriose regnante, hucusque profligati sunt, et quorum in praecedentibus mentio facta non est.

TITULUS VII.

DE PERICULIS FIDEI CAVENDIS.

Christus Dominus bonum semen seminavit in agro suo: Apostolis doctrinam suam et monita salutis reliquit: Ecclesiam constituit: « ite et docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quae mandavi vobis. » Sed venit inimicus homo, et superseminavit zizania. Et viventibus adhuc Apostolis surrexerunt inimici et haereses et falsas doctrinas introduxerunt, et scandalis et pravis exemplis in omnem malitiam Christifideles abducere conati sunt. Nec umquam deinceps a malo incepto destiterunt: numquam enim dormit adversarius sed circuit, quaerens quem devoret.

Neque Ecclesia dormivit, iugiter monitis suis paternis praemuniens fideles, et excitans, et a periculis revocans. Inter pastores, eheu! subinde inventi sunt homines qui dormirent, et locum darent inimico zizania spargendi per agros Ecclesiae. Summus autem Pastor numquam officio suo defuit iuxta praeceptum Petro datum: « Confirma fratres tuos. » Ita nostro etiam tempore, tum S. M. Pius Pp. IX, praesertim in Syllabo et feliciter regnans Leo Pp. XIII non destiterunt huius temporis errores condemnare, et remedia ad eos cavendos indicare. Eorum exempla secuti huius Synodi Patres necessarium iudicant subditos de periculis, quibus eorum fides exponitur, edocere, et de subsidiis ad illa praecavenda instruere.

Pericula autem haec ex sequentibus fontibus praecipue oriuntur:

I. — Ex lectione librorum fidei aut moribus adversantium et ephemeridum pravaram;

2. – Ex conversatione cum personis acatholicis et infidelibus;

3. – Ex scholis minime christianis, in quibus iuventus educatur.

4. – Ex superstitionibus, vel propter ingruentem infidelitatem et relictam vitam christianam propagatis; vel etiam ex antiqua idololatria inter indos nonnullos secreta traditione conservata.

De singulis hisce breviter agendum.

§ I.

De libris prohibitis et ephemeridibus perniciosis.

Pestem malorum librorum vel ipso Apostolorum tempore iam extitisse, patet ex Act. Apost. xix, 19, simul etiam ab Ecclesia illam impugnatam fuisse efficaciter, ita ut Ephesi publice combusti fuerint eiusmodi libri; huic praxi apprime concordant leges in Conc. Lateran. IV latae et constitutio deinceps a Leone X data, et a Conc. Trid. renovata, et postea a plurimis SS. Pontificibus confirmata. Index etiam constitutus in quo libri omnes a S. Sede iam prohibiti recensentur, et regulae propositae librorum censoribus. Ecclesia scilicet semper insistet obligationi ex lege tum naturali tum divina, qua prohibetur unusquisque, absque necessitate, voluntarie periculum incurrere damnum faciendi fidei aut moribus. Proinde etiam haec Synodus iudicat fidelibus regulas sequentes in mentem revocare, et denuo statuere:

1. – Nemo, nisi licentia a Sede Apost. vel ab Ordinario, qui hac in provincia facultatem a S. Sede concessam ad id permittendum ad tempus habet, obtenta,

praesumat legere aut retinere libros apostatarum et haeticorum, haeresim propugnantes, vel alios quoscumque cuiusvis auctoris a Sede Apostolica nominatim prohibitos: qui secus fecerint sciant se incurrere excommunicationem latae sententiae, S. Pontifici reservatam: debent igitur detentores horum librorum vel destruere illos vel tradere parochi, aut alteri facultatem ad id habenti, ut eos servet, donec ipsis eorumdem lectio permissa fuerit.

2. – Similiter prohibitioni subiacent libri docentes varias superstitiones, sortilegia, spirituum evocationes, etc. aut tractantes de manifeste obscenis et turpibus; prohibetur etiam uti imaginibus Christi aut Sanctorum in ornatum rerum ad usum profanum destinatarum, v. gr. pannorum, utensilium etc.

3. – Plurimi, seu potius innumerabiles sunt libri, qui licet sub duplici specie superiori, directe saltem, non comprehendantur, certe lege naturali et divina prohibentur, rudibus praesertim et idiotis, maxime iunioribus. Scilicet sub multiplici forma, maxime ea quae *Novela* dicitur, vel indirecte impetunt fidem, ridiculo et turpi modo loquendo de personis et rebus sacris, vel fabulas indignas et calumnias evulgando circa vitas Pontificum et Sanctorum, historiam praesertim ecclesiasticam depravando, aut narrationibus sensualibus et turpibus imaginationem legentium pervertendo et passiones excitando. Horum lectio summe periculosa, nec caret peccato, imo saepissime peccatum mortale inducit. Proinde huiusmodi libros nemo conservare aut legere praesumat, multo minus aliis tradere, nisi prius consilio inito cum confessorio vel alia persona erudita et prudenti.

4. – Idem iudicium esto de ephemeridibus sive

quotidianis sive periodicis et aliis huiusmodi, de illustrationibus, imaginibus, picturis, sculpturis: omnia haec in dies magis pervertuntur a spiritu immundo, et innumeros incautos illaqueant et perdunt. Noverint autem imprimis patresfamilias, gravissimam sibi incumbere obligationem, ab huiusmodi, uti a lectione librorum de quibus supra, deterrendi filios et domesticos omnes; quod si non fecerint, quoad detentionem librorum prohibitorum in Indice, ipsos incurrere gravem reatum. Ceterum circa libros prohibitos prae oculis habeantur constitutio *Apostolicae Sedis*, et alia apostolica decreta.

5. – Quod dictum est de libris, imaginibus, etc. dicendum etiam erit de repraesentationibus scenicis, quae si turpes sunt, aut aperte personas et res sacras irrideant, illis assistere nemo sine peccato mortali potest. Tanto gravius periculum praebent, quanto magis in illis per omnes sensus in animam intrat inimicus. Sed etiamsi primo aspectu non adeo periculosae appareant, iuxta dictum S. Francisci Salesii sunt sicut fungi, quos numquam sine magna cautela edere oportet.

6. – Vicarii foranei, parochi, confessarii etc., super hisce invigilent, et opportune publice et privatim moneant fideles. Habeant etiam Indicem librorum prohibitorum pro sua directione: et si in locis, curae suae commissis, apparuerint falsae doctrinae seminatores, aut libri perversi aut periculosi editi fuerint, id deferre ad Ordinarium non omittant.

7. – Sciant insuper omnes fideles licitum minime esse, habere aut legere versiones S. Scripturae ab haereticis editas, aut generatim omnes editiones in linguis vernaculis sine commentariis ab auctoritate ecclesiastica approbatis. Itidem, nemini licere, in lucem edere

libros de rebus sacris tractantes, nisi prius ab Ordinario fuerint examinati et approbati.

8. – Pro meliori executione et vigilantia, in singulis dioecesibus constituatur permanens deputatio duorum vel trium sacerdotum, scientia et pietate insignium, ad iudicandum de libris, libellis, ephemeridibus recen-
ter in lucem editis.

§ 2.

De conversatione cum acatholicis et infidelibus.

« Oportet ut veniant scandala » dicit Dominus Noster Iesus Christus. Et profecto ab initio temporum numquam defuere: iam statim mentio fit filiorum Dei et filiorum diaboli: et necessario in eodem mundo conversari debent et boni et mali. Non desunt tamen monita de vitando malorum consortio in S. Scriptura; « recedite a tabernaculis impiorum, et nolite tangere quae ad eos pertinent, nec involvamini in peccatis eorum. » (Num. xvi, 26). Et Apostolus scribit: (Timoth. II, II, 17): « Sermo haereticorum ut cancer serpit, » et (Tit. III, 10); « haereticum hominem post unam et secundam correptionem evita; » et item: « si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert nolite recipere eum in domo, nec ave ei dixeritis. (S. Io. Ep. II, 10). Ut autem prudenter, opportune et efficaciter haec praecepta adimpleant fideles, statutum volumus:

I. – Nullo modo, nec sub praetextu urbanitatis, licet fidelibus concurrere ad actus religiosos haereticorum, eorum coetibus et concionibus interesse. Prohibitioni quoque subiacent iuxta normas constitutionis *Apostolicae Sedis* receptores, fautores et defensores haereticorum. Qui communicant cum excommunicatis nomi-

natim a Papa *in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem*, incurrunt excommunicationem.

2. – Fugiant fideles a conversatione cum acatholicis et aliis, qui irridere solent fidem catholicam, eius ritus et sacramenta, cultum sanctorum, etc.

3. – Cum ceteris, qui de rebus ad religionem spectantibus agere non solent, neque proin periculum fidei aut moribus afferunt, vitae civilis relationes sunt licitae, vitanda tamen nimia familiaritas, ab iis praesertim, quibus talis conversatio causam praebere posset ad matrimonium cum acatholico contrahendum, super quo conscientia patrumfamilias oneratur.

4. – Quoad eos, qui baptismo ad Ecclesiam pertinent, sed sacramenta neglexerunt et caeteras hominis christiani obligationes, eadem distinctio facienda: vel eo devenerunt, ut odio prosequantur Ecclesiam, sectis nomen dederint, et omnibus modis impietatem verbo et exemplo spargere procurent: et horum conversatio, rudibus praesertim et iunioribus saepe maius praebet periculum quam acatholicorum, et quantum per caritatem licet, omnino fugienda: vel sunt simpliciter indifferentes, et hi prudentia et caritate saepe ad meliorem frugem reduci poterunt.

5. – In ipsa conversatione cum acatholicis urbanitas et caritas observanda, et vitanda ea omnia quae praeiudicia contra Ecclesiam fovere possent.

6. – Circa omnes demum circumspectio observanda, ratione legum et characteris ac dispositionis generalis civium loci, in quo quisque degit, vitando, quantum fieri potest, ea omnia, quae scandalum in publicum afferre possent.

7. – Hoc imprimis observent parochi et ceteri, cum

e suggestu vitia impugnant, aut religionem eiusque ritus defendunt, prorsus vitando quemquam nominare aut alias in particulari designare. Neque sacerdos, inconsulto Episcopo, verbo aut scripto publicam cum haereticis disputationem instituat.

§ 3.

De scholis acatholicis et laicis.

Inter zizania ab inimico per totum mundum sparsa, nihil fortasse adeo nocivum et pestilens, quam zelus multorum, meliori causa dignus, erigendi scholas in quibus ne mentio quidem fiat Dei et mandatorum eius, ut ab Ecclesiae instructioni et educationi subducant iuventutem. Novit scilicet inimicus homo omnia fere a prima educatione pendere, iuxta verba S. Scripturae « adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. » Iam etiam videmus ubique fructus malorum seminum perversae institutionis in scholis istis *neutris, mixtis, laicalibus* dictis, in numero crescenti puerorum qui horrida crimina perpetrant, latrocinia, caedes; et in innumeris mores perditos, et vitam irreligiosam et effrenem praeferebantibus. Hinc eiusmodi scholas in Syllabo iam condemnavit Pius Pp. IX, simul reprobans doctrinam eorum, qui contendunt totum regimen scholarum unice vindicare auctoritati civili, quacumque alia sive parentum sive Ecclesiae seclusa. Et haec eadem gravibus verbis declarat et impugnat S. P. Leo Pp. XIII in Encyclica *Humanum genus*. Hisce igitur S. Sedis monitis nos conformantes, sequentia pro directione fidelium statuimus:

1. – In locis ubi sufficienter provisum est puero- rum instructioni per scholas catholicas, nulla ratio ex-

cusat parentes, et graviter peccant mittendo filios suos ad scholas acatholicas, et neutras, in quibus de Deo eiusque mandatis nulla fit mentio, et quorum fundatores et promotores sibi proposuerunt merum naturalismum, Deo seposito, instructione iuventutis propagare.

2. – Ubi non existit schola vere catholica, nec commode parentes valent alio mittere filios suos, poterit permitti ut alias scholas adeant; omni tamen adhibita cautela, ne detrimentum inde capiant quoad fidem et mores; procurando ut extra scholam pueri doceantur ea quae ad religionem pertinent. Si tamen tales fuerint scholae ut graviori periculo fidei aut morum exponantur iuvenes, nullo modo licet, propter pauculum scientiae, sortem aeternam eorumdem negligere. Melius est ut rudes et illitterati salvent animam, quam ut docti et eruditi eterne pereant.

3. – Obligatio parentum praecavendi ne periculosa conversatione et funesta amicitia filiorum mores depraventur permanet, imo augetur, cum ad scholas publicas aut privatas laicas illos mittunt. Quapropter ne nimium eorum virtuti credant, nec unquam debite illis invigilare omittant, ne a malis sociis in perniciem seducantur.

4. – Primam instructionem in elementis religionis profecto ipsi parentes debent filiis suis. Cum tamen huic obligationi plurimi vix aut certe minime sufficienter satisfaciant, parochi erit super hoc identidem admonere fideles. Parochus dein inter praecipuas obligationes suas adnumeret puerorum instructionem religiosam; quare saltem die Dominica, aut alia magis convenienti, catechesim puerorum instituat, ad quam pueri omnes conveniant, saltem donec bene instructi

ad primam communionem possint admitti; et similiter pro adolescentibus etiam, iam ad Sacramenta admissis, doctrinam publice explicet in templo.

5. – Procurent parochi instituere scholas parochiales diurnas et nocturnas pro adultis, et quae possunt, excitata etiam fidelium liberalitate, promovere solidam puerorum instructionem, saltem in materiis magis necessariis; et doceant fideles, imprimis patresfamilias, pro ratione suarum facultatum, strictam eis incumbere obligationem, contribuendi in hunc finem, ut scholae catholicae institui et sustineri possint. Si tamen statim in aliquo loco duplici scholae pro pueris et puellis prospicere non poterit, prima cura sit scholam pro pueris aperire. Summam dein curam habeant, ut magistri sint idonei et vere religiosi, qui non solum instruant, sed verbo et exemplo praeceant discipulis.

6. – Ut scholis catholicis apti provideantur magistri, in singulis dioecesibus instituatur *schola normalis*, in qua ad hoc officium tam nobile et praecelens formentur iuvenes, qui necessarias corporis et mentis dispositiones prae se ferant. Pro uberiori intelligentia et ad maiorem fidelium instructionem super eis quae hactenus de scholis acatholicis tractavimus ponatur in appendicibus *Instructio S. Congregationis De Propaganda fide circa scholas publicas ad Episcopos Americae Septentrionalis Foederatae*.

‡ 4.

De superstitionibus.

Ea semper fuit humanae mentis dispositio, ut quanto magis declinat a veritate, tanto proclivior fiat